

da: sed sufficit idem habitus realiter ad iudican- dum de natura syllogismi; & ad applicandum illum alijs scientijs: igitur dicere vtranque logi- cam esse duos habitus realiter distinctos est vlti- muliplicare entitates sine necessitate: probatur mi- nor: na ex eo, quod aliquis nouit naturam syllo- gismi, facillime illum poterit applicare alijs sci- entijs: sed hoc est munus logicæ vtentis. Ergo, ad hunc actum non requiritur alius habitus, ab illo, qui docet construere syllogismum.

Secundo, habitus non tribuitur potentie nisi ad tollendam eius difficultatem in operado: sed postea habitu logicæ docentis in intellectu, nulla sibi superest difficultas ad aliquod instrumentum sciendi conficiendum in alijs scientijs. Ergo super fluit habitus logicæ vtentis: probatur minor: nam sciens, quomodo aliquid fit faciendū, statim prom- pte in actum, & operatur illā cognitionē, quā habet de re operabili, quin aliquo alio egeat: vt ex perentia constat, Igitur.

Tertio habitus logicæ vtentis, quem ponitis distinctū realiter ab habitu logicæ docentis, non potest acquiri actibus distinctis ab actibus, qui- bus acquiritur habitus logicæ docentis: igitur nō distinguuntur realiter: antecedens probat: nam si distinctis actibus acquiritur, inquiri, a quo habi- tu elicitur? Si ab habitu logicæ vtentis? contra: implicat esse habitum logicæ vtentis ante habi- tum logicæ docentis. Si ab actibus non proceden- tibus ab habitu? Contra: quia tales actus erunt logicæ naturalis, & cum isti præcedant omne ar- tificiale, ex 2. Physicor. text. 39. producent habitū vtentem naturalem; & non artificialem anteceden- tem habitum logicæ docentis; qui quidem habitus vtens naturalis erit imperfectus, non se- quens regulas logicæ docentis: ac per consequens non erit logica vtens, de qua loquimur: sed im- proprie dicitur talis, vt notauit Mauritius in præ- senti, difficultate sexta.

Dices: quod producitur ab actibus logicæ docentis, licet cum difficultate, qui postea fie- quentati generant logicam vtentem.

Contra: habitus sequitur naturam actus, & e contra: ergo talis habitus ab illis actibus gene- ratur erit logica docens: ac per consequens in- tentum: quod non realiter proprie distinguun- tur.

3. Conclu.

Dicendum tertio. Logica docens, & vtens non distinguuntur rationis ratiocinantis Distin- ctione: hæc etiam est communis: & probatur ar- gumentis pro secunda sententia adductis.

Vlt. concl.

Dicendum vltimo: logica docens, & vtens distinguuntur ex natura rei formaliter: hæc est Doct. vt patet in littera: vbi logicam Docentem, & vtentem distinguit per procedere ex proprijs principijs ad proprias conclusiones; & per ap- plicationem ipsius logicæ ad alias scientias, in quo ostendit eundem habitum habere a parte rei hoc duplex munus: sed hoc est distingui ex natura rei. Ergo: Quæ quidem conclusio manet probata notabili vltimo; quo etiam responderetur argumentis secundæ sententiæ, quæ tantum pro- bant logicam Docentem, & vtentem non distin- gui formaliter absolute; sicut homo, & risibile; nam duæ realitates huiusmodi non reperiun-

Ad argu- menta se- cundæ sen- tentiæ.

tur in logica, ratione quarum Docens, & vtens appelletur: non tamen probant non distingui ex natura rei, quæ est minima Distinctio inter Distinctiones formales: nam ad hanc Distin- ctionem sufficiunt duæ illæ aptitudines, quas a parte rei in logica reperi diximus: maxime quia Distinctio illa fundamentalis, quam hæc sententia assignat inter vtranque logicam, ead- dem est cum Distinctione, quam assignamus in quo sensu debet intelligi Magister Sanchez, & Auctores sententiæ nostræ.

Ad argumenta primæ sententiæ responde- tur: ad primum dico: quod habitus distinguun- tur per actus, tanquam per quid extrinsecum manifestatiuum: intrinsecè enim, & formaliter distinguuntur per suas rationes intrinsecas ab- solutas; vt docet Doctor in primo dist. 7. 13. & 27. & quæst. 13. quodlib. quare non est necessa- ria tanta Distinctio in habitu, quanta est in actū; vt patet in potentia voluntatis, in qua non da- tur tanta Distinctio, quanta datur in actibus ab ea elicitis: quia cum identitate causæ stat Distin- ctio realis effectus.

Ad secundum nego maiorem: nam actus generans habitum non solum se tenet ex parte potentie; sed præcipue ex parte obiecti, & ma- teriæ, circa quam potentia versatur (ided enim dicitur, quod actus distinguuntur per obiecta) & cum actus logicæ vtentis tantum se teneat ex parte intellectus: nam logica vtens est concan- sa, per quam intellectus constituitur in esse pri- mo; vt simul cum obiecto possit actum scienti- ficè elicere: idè non generabit habitum, nisi se- cundum naturam obiecti, cum quo concurrat: quare cum obiecto Philosophiæ habitum Phi- losophiæ generabit, & sic de reliquis: sicut enim actio solis cum homine generat hominem, & cum Leone, Leonem: ita actus logicæ vtentis, cum sit concursus quidam generalis concu- rrens ad acquisitionem perfectam omnium scien- tiarum, generabit habitum; prout ab actione ob- iecti limitatur: effectus enim, non causa vniuer- sali, sed particula. i. assimilatur.

Ad tertium nego minorem: nec facilitas syl- logizandi: prout prouenit ab habitu logicæ ar- tificialis: est maior in vno, quam in alijs: si acti- bus æqualibus acquiratur; bene tamen si proae- niat à logica naturali, & meliori organorum dis- positione: sed tunc non est logica vtens, de qua loquimur.

Secundo, distingo minorem, possunt separari quoad actum: concedo: quoad habitum, ne- go minorem: sed tunc nihil contra nos.

Ad quartum, nego minorem: nam sicut ad secundum diximus, tantum augetur habitus ille, cuius obiectum concurrat cum intellectu ad actum scientificum.

Ad vltimum, nego minorem: nam vt aliquod obiectum causet sub diuersis rationibus habitum distinctum: verbi gratia, homo sub ratione mo- bilis habitum Physicæ, & sub ratione sanabilis habitum Medicinæ; debet cum potentia concurre- re, vt partialis concausa: non vero debet concu- rere, vt concausa tenens se tantum ex parte potentie per modum se alteri applicantis, vt ac-

Ad primam primam sen- tentiam.

Ad secun- dam.

Ad tertiam.

Ad quartam.

Ad vltimam.

cidit

cidit in proposito: nam quodcumq; instrumentū sciendi, vt est quid applicatum, non concurrat cum intellectu, tanquam obiectum causans sui cognitionem; & idè non generat habitum dis- tinctum.

ARTIC. III.

De Logica sit scientia, et docens, vel ut vtens?

LOGICAM esse scientiam omnes fe- re Antiqui, & Moderni tenent, cū Do- ctore, contra Alexandrum ab Alexan- dia, & Egidium de Roma, & alios: sed quoad quam partem, docentis videlicet, an vt- tis sit scientia; non omnes cum eo conveniunt: quare est prima sententia omnium teræ Græco- rum, quos sequitur Cardinalis Zabarella lib. 1. de natura logicæ cap. 3. asserens logicam non esse scientiam in quantum docentem, sed in quantum vtentem: & vtranq; partem assignant contra Doct.

1. Sentent.

1. Argum.

quarum primam probant primo. Omnis scientia est de obiecto necessario, & æterno; ex Arist. lib. 6. ad Nichomachium cap. 3. & ex 1. Post. cap. 2. at logica docens versatur circa ens rationis, quod est contingens, & solummodo à nostro intellectu fabricatum, quo cessante, cessat ipsum ens ratio- nis. Igitur logica non est scientia.

Secundo omnis facultas, quæ pro scopo, & fi- ne habuerit, non cognitione, sed effectione, non scientia; sed ars est appellanda: logica est huiusmo- di: quia docet efficere syllogismum, & quodeun- que aliud instrumentum sciendi: complexū: ergo non scientia; sed ars erit appellanda.

Tertio, omnis scientia præsupponit suū ob- iectum præcognitū duplici præcognitione, quid est, & quia est, ex 1. Post. sed logica docens nec non præsupponit; quia docet nos aliquam eius partem construere; scilicet syllogismum: ergo non est scientia.

Confirmat.

Confirmatur ex Arist. 1. Priorum in principio secunda, & tertie sectionis, vbi asserit se genera- tionem syllogismorum docere, scilicet, quomo- do fieri sunt, & quomodo à nobis facile fieri possint: ergo ex hac parte non est scientia.

Quarto, arguit Baldinus: logica Docens, & vtens sunt idem formaliter: ergo si secundū Sco- tum, logica vtens non est scientia; etiam nec logi- ca Docens. Antecedens probatur. Logica Docens est actus primus, vtens vero est actus secundus: sed actus primus, & actus secundus, non differunt nisi ratione; cum conueniant in ratione subiecti: ergo logica Docens, & vtens sunt idem subiecto, & solū ratione differunt: ac per consequens: si vna non est scientia; nec etiam altera.

Quinto, idè logica Docens, secundū Scotū, est scientia: quia in ipsa fiunt demonstrationes: hoc autem est falsum: igitur. Falsitas minoris ostenditur: quia illa demonstratur, quæ per se sunt ignota, ex 1. Post. quia scientia est de nouo: id est, de rebus, quas prius non noueramus: sed res logi- cæ non sunt vniuersaliter ignotæ: quia sunt ab in-

tellectu; & quæ sicut Artifex sunt nota illi: igitur res logicæ non prius sunt, quæ nos atur: & sic non sunt vniuersaliter ignotæ, sed semper notæ: ac per consequens non est scientia de illis.

Vltimo arguit tribus argumentis, quæ pro par- te contraria adducit Doct. in littera: & contra so- lutionem tractatam ad primū, sic inquiri: illud in est formaliter aliquid, quod est ratio formalis: huiusmodi: sed esse instrumentum est ratio formalis ip- sius logicæ: ergo esse instrumentū sciendi per se, & formaliter conuenit logicæ: & sic illa, propo- sitio: logica est modus sciendi, est vera formaliter, & non tantum materialiter; vt exponit Scopus: minor probatur ex 1. Topic. cap. 9. vbi dicitur: quod quæ docentur in logica sunt instrumenta admiculantia alijs scientijs: ex quo habetur, quod modus considerandi logicæ est instrumentū: tunc sic. Sed modus considerandi logicæ est ratio formalis logicæ: ergo de primo ad vltimū, illa propositio est vera formaliter.

2. Pars pp- batur. 1. Argum.

Secunda pars probatur à Zabarella vbi ca- pit. 5. cui subscribit Pater Didacus à Iesu in sua logica quæst. 5. conclus. 3. Primo, logica in tantum est scientia, in quantum parit scientiam: sed solum cum applicatur alijs scientijs, parit scientiam: ergo vt applicata, & in vtu posita, est scientia: maior est Arist. 9. Topic. vbi ait: logicam partim parere scientiam; partim non: parte non parit scientiam; sed quatenus applicatur alijs scientijs, cuius auxilio scientiæ dicuntur: ergo non vt Docens, & per se sumpta, est scientia; sed vt vtens, & alijs scientijs applicata.

Secundo arguit Didacus à Iesu. Logica vtens est idem habitus, ac docentis; prout docendo fa- cilitat ad vsum: sed docet scientificè: ergo facili- ter ad vsum scientificè: vt faciliat ad vsum est vtens: ergo vt vtens est scientia.

Tertio vtens etiam dici potest; prout in tra- denda doctrina modi sciendi, & formarum disse- rendi, eisdem formis, & modis vtitur: sed demō- strationem elicere, & formare, est actus scientiæ: ergo etiam vt vtens est scientia.

Quarto, logica Docens, & vtens, sunt idem habitus: quia logica Docens omnes actus intel- lectus, etiam cuiusuis alterius scientiæ dirigit: er- go si ad executionem, & vsum actuum, quos lo- gica Docens dirigit, alius habitus logicæ vtentis ponetur; fieret, vt actus omnium scientia- rum ab hac logica effectiue producerentur: ex quo sequeretur rursus: quod quilibet Assensus, aut opus scientificum cuiusuis scientiæ à dupli- ci habitu fieret; ab habitu, scilicet, logicæ vtentis, & ab habitu illius scientiæ, ad quæ propositio ratione materiæ pertinet: quod est absurdum: ergo.

Vltimo, logica vtens, qua ratione est vtens; habet aliquem actum: sed ille non est actus Opi- nionis, nec fidei, nec Artis, nec Prudentiæ, nec Intellectus: ergo est actus Scientiæ. Ac per con- sequens intentum.

2. Sentent. Doctoris.

Secunda, & opposita sententia est fere om- nium Doctorum, his temporibus, cum Doctore in præfati: pro qua notandum ex eodem q. 9. prologi. Et in 3. Dist. 22. quæst. vñica littera D. & in Reportatis ibidem. Quod scientia capitur

quadupliciter primo: pro notitia cum firma adhesionem: in quo sensu loquitur August. 15. de Trinitate. cap. 12. dum ait: absit, quod nos scire negemus, quae testimonio didicimus aliorum: alioquin nescimus esse Oceanum; esse terras, atque vrbes, quas celeberrima fama commendat.

Secundo sumitur communissime, pro quacunque notitia, siue certa, siue incerta, siue contingenti, siue necessaria.

Tertio pro cognitione quacunque certa, & euidente; dummodo sit sine discursu: & his tribus modis sumitur scientia, prout est actus, seu cognitio actualis.

Vltimo denique sumitur propriissime, & ab Arist. 1. Posterior. cap. 2. sic diffinitur. Scire opinamur vnum quoddam simpliciter (sed non philosophico modo, quod est secundum accidens) cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, & quoniam illius est causa, & non est contingere hoc aliter se habere. In qua diffinitione, quatuor conditiones tanguntur: prima quod sit notitia certa, sine deceptione, & dubitatione: per quam excluditur a ratione scientia: Opinio, quae est cognitio incerta, & dubia. Secunda quod sit notitia de obiecto vero & necessario; per quam excluditur a ratione scientia: Ars, & Prudentia, & quilibet habitus contingentium. Tertia, quod sit notitia euidentis: est, causata a principiis euidenter notis: per quam excluditur fides, quae licet sit habitus certus, est tamen ineuidens. Vltima tandem quod huiusmodi principia euidentia ex terminis applicentur per formam syllogisticam ad hoc, vt inferatur conclusio: & hanc quatuor conditionum solam tertia est scientia speculativa, & essentialis: quarta autem tantum conuenit intellectui discursiuo, & scientia imperfectam habenti.

Ex quibus sic scientiam proprie dictam ex Aristot. ac Doctoris mente diffinire possumus. Scientia est cognitio habitualis, certa, & euidentis conclusionis necessariae, per demonstrationem acquisita. Seu, quod idem est: est habitus certus, & euidentis, per demonstrationem acquisitus, & de hac diffinitione inquirimus, an conueniat logicae, nec ne? Et si conueniat? An illi, vt docens est, an vt vtens?

1. Conclus.

Dicendum primo. Logica Docens est verè & proprie scientia: hæc est contra primam partem primae sententiae: & probatur primo: scientia est effectus demonstrationis: sed in logica multa demonstratiue concluduntur. Ergo: Logica est scientia. Probo minorem: quia ab Aristotel. sunt multa argumenta ad ostendendum multas conclusiones in libris Post. & in alijs. Vnde hæc conclusio: Demonstratio est ex propositionibus per se, & vniuersalibus; probatur ab ipso, lib. 1. Post. cap. 6. item hæc: principia sunt certiora conclusionem: item hæc: non potest fieri transitus de genere in genus in demonstrationibus. Igitur.

Secundo, Logicus est sciens: ergo, Logica est scientia: consequentia patet: per illam propositionem famosam Doctoris: quod a concretis ad abstracta (maxime si sunt accidentalia, & absoluta non vltimata) valet consequentia: vt album est coloratum: ergo albedo est color, Antecedens

probatur: quilibet demonstratiue cognoscens est sciens: Logicus est huiusmodi: scit enim causas conclusionum, quas demonstrat. Igitur logicus est sciens: ergo, & logica scientia.

Tertio in logica sunt omnia ad scientiam requisita: ergo est scientia: consequentia patet: & antecedens probat: nam habet subiectum, quod habet passiones de ipso demonstrabiles; & diffinitionem, per quam demonstratur: ergo.

Dicendum secundo. Logica vtens; quomodo ducuntur sumatur; non est scientia: est Doctoris contra secundam partem primae sententiae: & de logica vtente, prout ex medio communi dicitur procedere, patet: nam omnis cognitio scientifica procedit ex medio necessario: sed talis logica vtens procedit ex medio communi: ergo, vt sic non est scientia.

De logica vtente; prout dicitur talis ab applicatione sui obiecti alijs scientijs: etiam constat: nam omnis cognitio scientifica dicitur talis ex obiecto, cuius passiones demonstrat, naturamque contemplatur: sed ex vi vsus, seu applicationis, qua logica suum obiectum applicat alijs scientijs, non dicitur contemplari eius naturam; nec passiones demonstrare: imò cessat ab illis: ergo ex vi talis vsus, & applicationis, ratione cuius logica dicitur formaliter vtens, non est formaliter scientia.

Secundo, talis applicatio, siue actualis, siue aptitudinalis, praesupponit logicam in esse scientiae constitutam: sed ex vi talis applicationis dicitur formaliter vtens: ergo vt vtens non est scientia. Maior de applicatione actuali patet: nam implicat applicare modo artificioso alicui scientiae aliquid instrumentum sciendi, nisi illud conficere sciamus: igitur prius erit in logica ratio scientiae, quam actualis applicatio. De applicatione aptitudinali etiam constat: nam sicut se habet ordo actuum inter se; sic se habet ordo potentiarum; sed applicatio actualis praesupponit cognitionem actualem scientiam in logica: ergo, & aptitudo applicatiua praesupponit aptitudinem contemplatiuam: ergo.

Ad argumenta. Ad primum pro prima parte nego minorem: nam ens rationis logicum, seu secundam intentionem, est quid æternum, & necessarium negatiue: dupliciter enim dicitur æternum, seu necessarium; positiue, & negatiue: æternum positiue est illud, quod non solum caret principio durationis, sed ultra hoc, habet coexistentiam ad omnem tempus: & necessarium positiue est illud, quod habet existentiam indefectibilem: & hoc modo solum Deus dicitur æternus, & necessarius: æternam negatiue est illud præcise, quod non habet principium durationis, nec incepit esse in tempore: & necessarium negatiue est illud, quod est impossibile aliter se habere: & hoc modo rerum essentia dicuntur ab Arist. perpetua, & necessaria; quia non sunt ex tempore, nec durationis principium habent; abstrahunt enim ab omni duratione: sunt etiam necessaria: quia licet nullam habeant existentiam, habent tamen tales conceptus obiectiuos quod repugnat eis aliter se habere: & ita de ente rationis; sicut & de reliquis entibus; datur scientia, ratione sui fundamenti, quod est æternum, & necessarium negatiue.

2. Conclus.

Ad primam pro prima parte.

Ad

Ad secundam.

Ad secundum distinguo maiorem si talis actio, & affectio fuerit materialis, & exierit extra limites intellectus speculatiui; concedo: sin vero; nego maiorem: & ita accidit in presenti: nam doctore constructionem syllogismi est illius naturam docere, qua cognita, nos postea formamus tales syllogismos; quae formatio fit in mente, sicut cognitio aliarum scientiarum; quamvis non sit ita necessaria.

Ad tertiam.

Ad tertium distinguo minorem non praesupponit suum obiectum in communi, nego in particulari, & in suis partibus subiectiuis, concedo minorem: & hoc secundo modo, & non primo, conuenit a nobis, quod non est inconueniens, & per hoc patet ad confirmationem.

Ad quartam.

Ad quartum nego maiorem: nam (vt vidimus) logica docens, & vtens ex natura rei distinguuntur. Quae distinctio sufficit, vt duo contradictoria de eodem non verificentur; & quod logica scandum vnam rationem sit scientia, & non secundum aliam.

Ad quintam.

Ad quintum nego minorem: ad probationem dico: quod non omnes secundae intentiones logicae sunt naturaliter notae; sed sicut in alijs scientijs sunt aliqua, quae praenoscuntur, & aliqua, quae ignorantur, in quorum cognitione per prius nota deuenimus, ita in logica sunt aliqua intentiones secundae, quae habitus primis facile ab intellectu causantur; vt sunt genus, species, & propositio; sunt autem aliae intentiones secundae, in quarum cognitionem tendimus per prius notas. Vnde licet demonstratio conficiatur ab intellectu, non tamen scit illam statim conficere, sed post multorum cognitionem: sit igitur demonstratio ex praecognitis, & multae aliae logicae intentiones.

Ad vltimam.

Ad vltimum sustinendo primam responsionem a Doctore assignatam, dico, quod Aristot. ibi non vult quod instrumentum sit ratio formalis logicae; sed quod eius obiectum sit instrumentum aliarum scientiarum; propter quod ipsa logica dicitur medium, instrumentum, via, & modus scientiarum: & hæc est expositio, quam tradit Doctor super illum locum Aristot. in Metaphysica; vbi ait logicam vtentem appellari modum sciendi modo explicato.

Ad primam pro secundam parte.

Ad argumenta pro secunda parte contrariae sententiae responderetur: Ad primum dico logicam docentem per se parere scientiam, etiam alijs scientijs non applicetur: nec Aristot. loco praedicti allegato ait, logicam partim parere scientiam, & partim non; vt patet textum legentis: & quamvis dicat, quod non sit scientia propter se, intelligendus est, ac si dicat: logica, quia agit de obiecto, quod alijs scientijs inseruit, non est ita scientia propter se; sicut est illa, cuius obiectum ad aliud non ordinatur, & per se experibile est: sed ex hoc non licet inferre, quod logica docens non sit scientia, sed instrumentum aliarum scientiarum; nam ex se non est instrumentum (vt diximus) quia licet obiectum illius sit alijs scientijs applicabile; & ideo logica instrumentum late dici possit: nihilominus eius obiectum, secundum se, & absolute potest considerari, quin ad alias scientias ordinetur; quamvis fundamentaliter sit ad illas ordinabile; & de illa, vt sic, est Logica quae est

scientia propter se suo modo.

Ad secundum distinguo maiorem: logica docens, vt docens faciliat ad vsum formaliter, & primario, nego maiorem: nam vt sic tantum ad cognoscendam naturam sui obiecti faciliat, & inclinatur: secundario vero, & consecutiue; concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam: nam faciliat ad aliquid scientificè est formaliter, & primario, passiones subiecti demonstrare: & quia faciliat ad vsum sui obiecti non eius naturam contemplatur logica: ideo sub ista formalitate non est scientia.

Aliter potest dici: quod logica docens, vt sic, non faciliat ad vsum, sed radicaliter tantum; nam cum logica docens, & vtens, ex natura rei distinguantur, quidquid conuenit docenti ratione suae formalitatis, non conuenit vtenti ratione suae: & ideo quamvis logica docens radicaliter faciliat ad vsum: quia licet idem realiter vtentis non vero faciliat formaliter ea ratione, qua docens est. Vnde logica docens formaliter est scientia, & radicaliter est aliquid, quod non est scientia: similiter logica vtens formaliter non est scientia; & radicaliter est aliquid, quod est scientia: exemplum patet in homine, & risibili: homo enim formaliter non est risibilis, bene tamen radicaliter: & risibile formaliter non est homo, bene tamen radicaliter: nec ex hoc sequitur contradictio, cum non sit respectu eiusdem formalitatis.

Ad tertium distinguo minorem; elicere demonstrationem, modo demonstratiuo, est actus scientiae; concedo: modo applicatiuo, nego minorem: nam modus iste applicatiuus, licet demonstrationem a sua natura non extrahat; tamen talis demonstratio sub tali modo non est actus scientiae formaliter, sed radicaliter tantum.

Ad quartum patet ex Articulo praecedenti, & ad inconueniens dicitur quaestione sequenti.

Ad vltimum, concedo maiorem: & ad minorem dico primo. Quod actus logicae vtentis non est formaliter actus scientiae, sed radicaliter; id est, actus vnius habitus, qui radicaliter est scientia: quamvis ab illo sub tali formalitate non elicatur: nec hoc est contra Philosophum: nam enumerans solum quinque habitus intellectuales, tantum loquitur de illis, prout in eis est veritas affirmando, vel negando, qui, vt sic, sunt quinque: non vero loquitur de eis, prout formaliter, vel radicaliter possunt elicere actus. Vnde quia logica sub duplici formalitate potest duos actus elicere, alterum scientificum, & alterum non scientificum: ideo talis actus nec est scientificus; nec illum non admittere est contra Philosophum.

Aliter ad minorem potest dici: quod talis actus non est actus scientiae, sed circa scientiam; nam considerans ego syllogismum in Darij, debere fieri hoc, vel illo modo, quae consideratio est logicae docentis; statim iuxta hanc considerationem, conficio illum in hac, vel illa materia; & talis confectio dicitur actus circa scientiam, seu circa regulas scientiae; & est actus logicae vtentis.

Ad secundam.

Ad tertiam.

Ad quartam.

Ad vltimam.

ARTICVLVS V.

An Logica sit scientia realis, an rationalis?

1. Sentent.

MOVETVR iste Articulus propter solutionem ad secundum; contra quam videtur esse opinio Aquarj 2. Metaphys. dilucidatione vnde dicitur tenentis logicam esse scientiam secundum quid, ac per consequens esse scientiam simpliciter rationalem: quae quidem sententia probatur primo.

1. Argum.

Omnis scientia, quae agit de ente rationis, quod est ens secundum quid, est huiusmodi: igitur. Maior est certa: quia ens, quod non est simpliciter tale, est ens secundum quid: minor patet: quia agit de secundis intentionibus, quae sunt entia rationis: consequentia est legitima. Igitur, &c.

Secundo omnis effectus realis debet a causa reali provenire: igitur si logica est aliquo modo scientia realis debet a causa reali provenire: sed eius obiectum, quod est illius causa, non est ens reale: igitur nec ipsa poterit esse scientia realis simpliciter: nec secundum quid, quia illud, quod non potest habere causam sui, nullo modo causatum dici potest.

2. Sentent. Doctoris.

Nota. 1.

Secunda, & opposita sententia est Doctoris si eius solutio ad secundum recte penetratur, estque communis apud omnes; pro qua notandum primo, quod scientia quadrupliciter potest dici rationalis, primo subiective: quia scilicet subiectatur in potentia rationali. Secundo acquisitive, hoc est, quia per rationem inquirentem ignota per magis notum, est acquisita. Tertio directiva: id est, quia dirigunt operationes intellectus: & his tribus modis, quae libet scientia rationalis dicitur. Vltimo tandem dicitur scientia rationalis obiective: quia licet, agit, de ente rationis: sicut illa dicitur scientia realis obiective, quae agit de ente reali.

3. Notam.

Secundo notandum: scientiam dupliciter realem appellari posse. Primo proprie, & adaequate, qualis est illa, quae a specie obiecti realis immediate causatur. Secundo non ita proprie, & est illa, quae per speciem sui obiecti non causatur, quia tale obiectum non est per se productum speciei intelligibilis, quale est ens rationis: causatur tamen a specie entis realis supplens vicem entis rationis: prima scientia dicitur realis realis secundum da realis intentionalis.

Conclus.

Dicendum: logica intrinsece, & simpliciter, est scientia realis: extrinsece autem, & secundum quid scientia rationalis: sic Doctor in praesenti, sic enim est intelligendus, & 6. Metaphys. quae st. 1. quoad primam partem manet probata Artic. 4. quoad secundum probatur: scientia specificatur ab obiecto extrinsece: sed obiectum logicae est ens rationis: ergo logica denominatione extrinseca dicitur rationalis, seu agens de ente rationis.

Ad primam.

Ad argumenta. Ad primum nego maiorem: nam licet ens rationis logicum, comparatione facta cum ente reali, dicatur ens secundum quid: nihilominus secundum se, nulla comparatione facta est simpliciter ens rationis, & simpliciter verum

tam veritate in essendo, quam in cognoscendo, & enuntiatio: quia quidquid praedicatur de ente reali per se secundo modo, etiam de ente rationis suo modo praedicatur: unde sicut haec est vera: homo est animal rationale: ita suo modo haec definitio est vera: genus praedicatur de pluribus differentiis specie in eo quod quid.

Ad secundum.

Ad secundum concedo totum Enthymema: ad probationem dico: quod licet ens rationis formaliter non causet sui cognitionem: bene tamen fundametaliter, quatenus virtualiter in ente reali continetur: itaque ens reale causat sui cognitionem in intellectu, quia mediante causat sui cognitionem: & talis species entis realis continet virtualiter cognitionem entis rationis, non quod producat speciem entis rationis: sed quia adiuvat in intellectu, ut entis rationis cognitionem producat respectu cuius cognitionis ens rationis tantum terminativae se habet. Videatur Leseherus in 1. dist. 3. q. 3. quantum ad secundum Articulum, & Bargius ibidem optime hanc solutionem ex mente Doctoris exponentes.

ARTIC. VI.

An Logica sit scientia practica vel speculativa?

OMISSO modo dicendi Gerardi Odon, q. 3. prologi in libros Ethicorum asserentis logicam nec esse scientiam practicam, nec speculativam, sed quid indifferens se habet ad omnes alias scientias: omisso igitur hoc dicendi modo; inter Auctores titulum articuli admittentes, est prima sententia Aureoli nostri q. 3. prologi affirmantis logicam esse simpliciter scientiam practicam, & probatur primo. Omnishabitus actiuus est practicus: logica est huiusmodi: igitur. Maior videtur certa: minor ostenditur: quia est quaedam virtus, & quaedam potentia, cuius est proprium agere. Igitur.

1. Sentent.

1. Argum.

Secundo habitus, qui non caret respectu prioritatis, & conformitatis, actiuitatis, & directiuitatis, non est simpliciter speculativus: quia ista videntur conditiones habitus practici: sed logica est huiusmodi: ergo non est speculativa: minor patet de prioritate: quia in conueniens est simul quaerere scientiam, & modum sciendi, id est, logicam; & ideo logica praecedit notitiam aliarum scientiarum: de conformitate, & de alijs patet, quia omnes aliae scientiae vtuntur, & regulantur per logicam. Igitur, &c.

Tertio nullus habitus speculativus facit obiectum suum: sed logica facit illud: ergo maior probatur ex differentia, quae est inter habitus speculativos, & actiuos, posita in sexto Metaphys. minor constat: quia logica facit orationes conceptuum expressiuas, & syllogismos, & alia, quae sunt subiectum in logica. Igitur. Alias rationes Aureoli, quae fere coincidunt cum his tribus, vide apud Antonium Andrzejam primo Metaphys. quae st. 11. in principio.

Quarto Aristoteles sexto Metaphys. cap. 1. diuidens scientias speculativas nullam logicam

mentionem fecit: ergo non est speculativa: aliter Philosophus diminutus fuisset.

Quinto, Philosophus in secundo Elenchorum affirmat scientias morales esse practicas: quia illas non addiscimus, tam ut sciamus quam ut boni fiamus: sed logicam non addiscimus, tam ut cognoscamus naturam syllogismi, quam ut bonos syllogismos conficiamus: ergo est scientia practica. His & alijs argumentis roboratur haec sententia: quam etiam ex parte amplectitur Fonseca 2. Metaphys. cap. 3. quae st. 2. Conimbricenses in Logica quae st. 4. Prooemial. artic. 5. & omnes illi, quos citat, & sequitur Oña quae st. 1. art. 4. asserentes logicam esse simul practicam, & speculativam.

2. Sentent. Doctoris.

Secunda, & amplectenda sententia asserens logicam esse scientiam speculativam, & nullo modo practicam, est Doct. primo Metaphysica, quae st. 7. & 6. Metaphys. quae st. 1. §. ad argumenta, & in prologo sent. quae st. 4. §. dico igitur; quae sequuntur eius discipuli ibidem, & quam plurimi Thomistae, quos refert Araujo 2. Metaphys. quae st. 3. art. 2. num. 18. Pro qua notandum primo quod praxis, a qua scientia (a posteriori tamen,) denominatur practica, quatuor modis usurpatur. Primo est operatio cuiuscunque virtutis, siue naturalis, siue liberae. Secundo dicitur operatio consequens cognoscens, in quantum cognoscens est. Tertio ut sequitur actum cognoscens, & cum hoc, ut est operatio existens in potestate nostra. Quarto denique sumitur strictissime, & a Doctore in prologo, ut supra, sic describitur: praxis est actus alterius potentiae, quam intellectus, naturaliter posteriori intellectu, natus elici conformis rationi rectae, ad hoc ut sit actus rectus: secundum quam descriptionem quatuor conditiones ad praxim proprie dicitur requiruntur.

3. Notam.

Prima conditio quod sit actus alterius potentiae ab intellectu: quare actus elicitus a voluntate, ut velle & nolle; & omnis actus a voluntate imperatus, ut sunt actus ab alijs potentijs eliciti iuxta imperium voluntatis, etiam si ab intellectu eliciantur, dicuntur praxes; diversimode tamen: nam illi sunt per se primo praxes, isti vero per se non primo, sed secundo: & fundatur haec conditio in illo axioma communi: tertio de Anima cap. 10. text. 50. intellectus extensione sit practicus: nam extendere est extra se tendere: ergo stando praecise in actibus suis, non sit extensio: ergo debet fieri necessario in actibus aliarum potentiarum: sed prima potentia post intellectum est voluntas: ergo respectu actuum illius sit primo extensio: ac per consequens tales actus erunt per se primo praxes. Quomodo autem hoc axioma ibi ab Aristotele habeatur, explicant optime expositores Doctoris in prologo, ut supra.

Secunda conditio est, quod praxis sit naturaliter posteriori intellectu: sicut omne regulatum est posteriori sua regula: unde omnis actus non regulabilis ab intellectu, nec dicens ordinem ad illum, ut sunt actus vegetativae, nutritivae, & generativae virtutis, ac etiam actus praecedentes intellectum, non dicuntur praxes.

Tertia conditio est, quod sit actus aptus eli-

ci conformiter rationi rectae, quae fundatur in 6. Ethicorum, ubi dicitur: quod electio recta necessario requirit rationem rectam: et hoc est verum de electione, quae est actus elicitus, pariformiter erit verum de actu imperato.

Vltima conditio est; quod praxis sit actus, qui potest recte, & non recte, elici: & hoc significatur, cum dicitur: ad hoc quod sit actus rectus: nam si non posset recte, & non recte elici: frustra poneretur respectu eius scientia practica directiva; non enim directiva indigeret. Vnde hic diffinitur a Doctore praxis in communi, prout est actus aptus, ut conformetur rationi rectae, & sit actus rectus, quae rectitudo est etiam communis ad rectitudinem moralem, & ad rectitudinem cuiuscunque artis, siue actiuae, siue factiuae, ut hic notavit Bargius. Quare Doctor non solum vult actum liberum voluntatis esse tantum praxim, ut sibi imponit Vazquez 1. p. disp. 8. cap. 5. nec etiam vult solum actum bonum esse praxim, ut illi imponunt etiam Soto in logica, & Suarez 2. tomo Metaphys. disp. 56. sect. 3. sed simul vult esse praxim omnem actum, ut est aptus esse bonus bonitate sibi debita, siue sit bonus, siue malus quando est in re positus.

Corol. 1.

Ex quibus colligitur: quod cum cognitio, seu scientia practica, dicatur talis: vel formaliter & intrinsece per suam vltimam differentiam nobis ignotam: vel extrinsece, & effectiue, ab obiecto, seu manifestatiue, & est per ordinem ad praxim: inde fit, quod licet praxis quadrupliciter accipiat: scientia tantum dicitur practica a praxi vltimo modo accepta: ad quam ipsa scientia duplicem respectum dicitur alterum prioritatis, qui aduenit illi ex ordine potentiarum; alterum directiuitatis, qui sibi inest ab obiecto; ex eo enim quod intellectus est prior voluntate: scientia practica est etiam prior praxi: & ex eo, quod obiectum cognitum est causa rectitudinis in praxi, ideo scientia, qua tale obiectum cognoscitur, dicitur directiva praxis: unde praxis etiam pro formalis duplicem respectum ad scientiam dicitur alterum posterioritatis, & alterum dirigibilitatis: formaliter enim tam scientia practica, quam praxis, in duplici praedicto respectu consistit.

Corol. 2.

Colligitur etiam quid sit formaliter speculatio, & in quo differat a praxi: est igitur speculatio secundum Franciscum de Maironis in 1. dist. 46. q. 1. operatio intellectiva, quae non est regulativa alterius, sed est gratia sui: itaque caret ordine prioritatis: ad actum alterius potentiae, & etiam ordine directiuitatis quia non dirigit actum aliarum potentiarum, nec facit intellectum extra se tendere. Vnde scientia practica, & speculativa differunt, primo ex obiectis: nam obiectum practicae est quid operabile, vel attingibile media aliqua actione voluntatis elicitae, vel imperatae: obiectum vero speculativae est tantum quid operabile ab intellectu; ita ut si per impossibile non esset voluntas, nec alia potentia, ipse intellectus ex se illud contempleretur, & fabricaret. Secundo differunt, ex fine proximo: nam finis proximus scientiae practicae est cognitio obiecti operabilis, modo operabilis: id est, dirigendo aliam potentiam, quomodo operari debeat: at verum finis proximus speculativae est cognitio obiecti